

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Adolphus Harnack contra miraculorum possibilitatem.
Quaestiones philologicae. Ad Catull. XXXI, 13. *Vos quoque lacus undae.*
De leone XIII P. M. commentarius.
Selecta ex bibliothecis et archivis. M. Antonii Mureti oratio de via
 ac ratione tradendarum disciplinarum.
Colloquia latina. Refectio scholastica.
Tibicinae natalitii.
Paroemiae sive Adagia. In vino veritas.
Acta Pontificia. Motu proprio de officiis aliqua ex parte modo ordi-
 nandis.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae
 selectae. Ex Congregatione Indicis. — Ex Congregatione Sacro-
 rum Rerum.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones — Pontificiae electio-
 nes. — Varia.
Annales. In Europa orientali restituta pax. — Mexicanum civile bellum.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmatum solutio.
Appendix: Ad Romam.

Fasciculo hoc, per quem contractae a nobis cum sociis anni MCMXIII obligationes absolvuntur, VOX URBIS commentarius edi desinit.

S. R. E.

ADOLFUS HARNACK CONTRA MIRACULORUM POSSIBILITATEM

Concilium Vaticanum (1), de actu qui *credere* dicitur, loquens, ait: « Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis *miracula* et prophetias, quae quum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata ». Ad assensum fidei igitur infirmandum, Positivistae et Modernistae, uno agmine facto, contra miraculi possibilitatem insurgunt. Inter Modernistas qui miraculum impugnant, Loisy et Leroy eminent. Primus scribit: (2) « Miracula, si non demonstrentur historice, et historice nequeunt demonstrari, quia omnipotentiae et scientiae Dei testimonia esse existimantur, non amplius miracula sunt, atque respectu ipsius fidei rursus, peculiarem huiusmodi significationem amittunt ». Mens Loisy est, miracula esse reiicienda, quatenus

divinae scientiae atque omnipotentiae testimonia directa retineantur. Miraculum — ait Leroy (1), — non est derogatio a legibus naturae, sed e contra manifestatio legis superioris, vi cuius materia spiritui subordinatur; siquidem nihil est aliud nisi actus quo spiritus hominis, modo intensissimo agens, suam supra materiam potestatem recuperat.

Prae ceteris, miraculorum possibilitatem impugnavit Adolphus Harnack, Berolinensis athenaei doctor, qui in libro « *Das Wesen des Christentums* » (2), « invincibiliter nobis persuasum est, — scribit — dari utique mirabile et obscurum ; at nulla dari miracula ».

* * *

Professor Berolinensis ad miraculorum possibilitatem denegandam hisce ducitur motivis: a) Vires omnes inclinationesque naturae simul sumptae a nullo homine adhuc cognoscuntur. — b) Omnia legibus universalibus atque naturalibus motus sunt subiecta. — c) Naturae cursus omnino inviolabilis est. — d) Fortis voluntas atque firma fides, quum in vitam ipsam corporalem influant, phaenomenorum, quae nobis miracula videntur, causa esse possunt.

Instituamus paulisper criticam argumentorum doctoris Harnack.

Nihili facimus assertionem illius, esse nempe « invincibilis persuasionis » quod miraculum non datur. Siquidem ex alicuius invincibili persuasione ad veritatem amplectendam vel reiiciendam minime movemur, sed ex sola argumentorum adductorum soliditate. Rursus, inter sapientes, multi « invincibili persuasione » moventur, tum ad possibilitatem miraculorum, tum ad vera miracula admittenda. Neque silentio praetereun-

(1) Denzing. 1639.

(2) Similes Réflexions, p. 170.

(1) Cf. TANQUERY, *Additamenta ad Synopsim Theol. - De Modernistarum doctrinis I Præcipui Modernistæ in Gallia*.

(2) Leipzig, 1900, n. 16-8.

dum est aliquando invincibilem persuasionem hominis cuiusdam in apertum incidisse errorem.

Sed ad argumenta in particulari descendamus :

I. — Falsum est neminem inclinationes viresque naturae cognoscere. Quemadmodum enim rerum corporearum essentiae, ita et earumdem rerum corporearum leges physicae a sapientibus in scientiis physicis peritis cum certitudine cognoscuntur; hodie praecepsim, cum natura corporalis quacumque ex parte scrutetur, continuusque progressus in disciplinis physicis habebatur. Nonne a positivistis, « scientiarum exsperimentalium » certitudo, continuo scientiae theologicae opponitur? Deinde lepide animadvertis Pesch (1): « Quamvis nesciamus ad quos terminos ars medicina pertineat, certo tamen scimus, medicos unica vocula ossa confacta restituere non posse, nec mortuos ab inferis revocare ».

II. — Omnia - arguit secundo, - legibus universalibus atque naturalibus motus sunt subiecta. Libenter doctori Harnack concedimus, omnia legibus universalibus atque naturalibus motus esse subiecta; sed hic nova exsurgit quaestio, id est, cui motus ipse, ipsaeque leges universales naturalesque subiecta sint. Certe non nisi ipsimet Deo. Motus enim quum sit successio quaedam esse et non esse, et in ipso sit principium et finis, neque est, neque aeternus esse potest. Necesse est igitur quod primo moventi² omnino immobili, id est Deo, subdatur, tamquam instrumentum, quo Deus in infinita varietate, unitatem harmoniae conservat. (2) Instrumentum autem subditur principali agenti, ideoque Deus potest ad libitum dispensare aliquam legem motus in particulari inspectam, in qua dispensatione miraculosa operatio consistit. Neque timendum est, ut ex hac divina dispensatione, totus universi ordo tollatur; Deus enim « faciendo praeter cursum naturae non removet totum ordinem universi, in quo consistit bonum ipsius; sed ordinem alicuius particularis causae ad suum effectum ». (3)

III. — Cursus naturae omnino inviolabilis est, — arguit tertio Berolinensis Professor. — At falsum est cursum naturae non posse a Deo violari. Deus enim, — animadvertis Prof. Walther (4) — legibus naturae alligatus, non est amplius Deus; neque manus Dei, — cuius interventum ubicumque tum in vita, tum in morte Harnack recognoscit, — supra leges naturae constitueretur amplius. Audiatur Angelicus: (5). « Deus potest facere contra ordinem, qui est unius creaturae, ad aliam, quod est quasi naturae particularis respectu ipsius. Cursus autem naturae est secundum ordinem unius creaturae ad aliam, et ideo contra cursum naturae Deus facere potest ».

Miraculum rursus non est legum naturae violatio,

(1) *Inst. Philos. nat. Cosm.* I. 4 n. 649.

(2) LEPIDI, *Elem. Philos. Christ. Cosm.* v. 3. Sect 3 c. 1.

(3) S. THOM. *de Potentia* q. 6 a 1. ad 7.

(4) *Ad Harnacks Wesen de 3 Kapitel.*

(5) *De Potentia* q. 6. a. 1. ad 3.

sed potius naturae cursus quaedam modificatio. Porro si aliquo in sensu, homo naturae cursum modificare potest; si naturae vires quodam modo potentiae humanae subiectae sunt, multo magis Deus, qui omnipotens est, naturae cursum modificare naturaeque vires sibi subiicere per miraculum, novo potest modo. (1)

IV. — « Fortis voluntas atque firma fides, quam in vitam ipsam corporalem influant, phaenomenorum quae nobis miracula videntur causa esse possunt ».

Mirandum sane, quod doctor Harnack voluntati humanae tribuat, nonnullorum phaenomenorum vires naturae excedentium causam esse posse, simulque potestatem huiusmodi Voluntati divinae, quae efficacissima, omniumque legum humanarumque voluntatum domina est, denegat.

Concedimus libenter effectus quosdam miro, naturae vires nonnisi apparerent excedentes, per voluntatem alicuius agentis in alterius phantasiam causari posse; nunquam tamen visum est, per voluntatem, ne dum *fortem*, imo *fortissimam* alicuius hominis, vel per fidem solidissimam eiusdem mortuis vitam fuisse redditam.

REGINALDUS FEI O. P.

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Ad Catull. XXXI, 13: Vos quoque lacus undae.

Quum hosce per dies Cartosii opuseculum prae manibus habuerim, in quo auctor, nimium putido scribendi genere usus, in vexatissimum Catulli versum 13 carminis XXXI diligenter inquirit, novamque lectionem proponit, ac mecum ipse consideraverim quantum in illo ad fidem codicum corrigendo, a praeflaris viris elaboratum sit, diu anceps fui, numquid in disputationem rursus eum deducere iuvaret ac meam quoque qualeumque sententiam expromere.

En huius scripti origo. Minime vero id mihi sumo, fore ut lectio proposita probetur; sed cum in coniicio plus minusve spatiari licet, illaque vero demum conjectura excipiatur quae magis sit veri similis, non displicebit si quid ego sentiam, vel potius quomodo velim versum restituere, hic brevi afferam.

Catullus, rediens ex Bithynia, postquam Memnium praetorem comitatus erat, laetus quod demum patriam optatam revisit, Sirmionem vehementius commotus salutat, *paeninsularum, insularumque ocellum*, prope ripas Benaci, ubi eius villula surgebat. Tunc gaudio perfusus, quippe qui demum possit desiderato lecto acquiescere, agentem eam aut loquentem inducens, exclamat:

Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude:

Gaudete, vosque, o Lydiae lacus undae:

Ridete, quidquid est domi cachinnorum.

(1) Cf. *Schweizerische Rundschau* 1902 p. 5-6.

Non uno modo versus 13 legitur. Sunt qui optimorum codicem Oxoniensis (O) et Sangermanensis (S) auctoritate nisi, qui ex Veronensi amissis exscripti sunt, ut inter doctos constat, quorum vero alter lectionem habet Lydie, alter Lydie, in integrum illud nomen restituendum esse censeant, scribantque Lydiae, scilicet ita locum intelligentes: Catullum Lydii lacus undas meminisse, quod olim prope litora Benaci habitarent Tyrrheni, qui illuc migraverunt postquam Lydii, quibus Tusci erant propinquitatis vinculis adstricti, quippe cum Tyrrhenus Lydusque Atye rege, ut admonet Tacitus, ann. IV, 55, geniti essent, in Asia suas sedes collocantes, patriis in sedibus resederunt. Inter eos qui huic lectioni astipulati sunt, Ellisium (1) tantum nominis et Friedrichium (2), quorum alter affirms nihil contra decoris artisque leges Catullum commisso Benacum lydium appellando seu tuseum, quum vel apud Ciceronem «Lydius haruspex» inveniatur, scilicet et tusca natus origine (3); alter vero, Aen. X, 201, ac Tacit. An. IV, 55, allatis, contendit verbum «Lydiae» nihil offensionis, nihil modesti ac putidi habere, nullam quaesitam doctrinam sapere; quin immo ita esse opportunum, ut vel aliquid arguti in eo inesse dici possit. «Quod si Catullus ex Asia minore redit, ubi erant Lydii, Phrygii, Bithynii, Mysii, quorum nomina singulos in dies resonabant, ecquid mirum si Lydium lacum is appellavit, quum id ex mentis cogitatorum complexu processerit, et rerum ac gentium vicissitudines in concitato animo poetae vehementissime egerint? Nonne id simplex et venustum est? Nonne idcirco carior Catullus?»

Ita fere Friedrichius iudicat; sed eius argumenta non defuerunt qui iam pridem diluerent ac refellerent, inter quos praecipuum laudem Iacobo Girio (4) tribuendam esse censemus, qui his utitur verbis: «Lydiae, a Lydis, a quibus Etrusci orti erant, qui Veronam incoluerunt et regionem proximam (cf. LIV. V, 33; Tac. An. IV, 55), huiusmodi esse verbum, quod commotum incensumque animum deceat, nemo affirmabit. Atque etiam admodum dedecet, si a tali animi statu nihil est tamen aversum quam exquisita doctrina...».

Qui enim «Lydiae» legendum esse censem, parum mihi videntur perpessisse, primum quod redeuntis animum commovere possit, eiusque intimas quasi fibras poscere, non esse loca ab antiquis gentibus habitata, non fictas veterum fabulas de origine ac situ orbis, non monumenta, non rerum veterum memoriam; sed ea quae in rerum natura sunt admirabilia, idest amoena-ritatem locorum, montes vestitos, florum omnium va-rietatem, opimas fruges, caelum tenui ac purum,

aquarum fluxiones, et similia... Quae si ita sunt, quum venienti primum Veronam purus Benaci splendor occurat, illius scilicet lacus qui veteres omnes scriptores vehementer commovit optimaque ab eis carmina expressit, quique vel renatarum litterarum tempore divino quodam afflatu haud paucorum poetarum mentem concitavit, necesse erat Catulli ex Bithynia redeuntis animum aquarum superficie ac spectaculo commoveri, potius quam urbis ortum repetere. (1)

Quum autem «Lydiae» verbum hac in re minime deceat, en innumeræ coniecturae propositae ad hunc locum corruptum restituendum; quarum si quis notitiam habere velit, illum Girii librum perquam laboratum et doctum audeat, quem mox memoravimus.

Quantum scio, postquam hic liber vulgatus fuit — in quo auctor pro «Lydiae» *intimae* coniecit, — exceptis scilicet illis editoribus qui codicum lectionem retinent ac servant, duas novas coniecturas allatas video, quarum altera est Bignonii, qui *inclytae* (2) legit, altera denique D. Cartosii, (3) qui *obviae* legendum esse prononcit. Non nego quin istae lectiones veri similes videantur et nescio quid arguti ingeniosique habeant; sed mihi non satis probantur.

Nunc vero ad meam venio. Ego quidem propono *vitreæ* et sic vexatum versum lego:

Gaudete vosque, vitreæ lacus undæ.

In primis animadvertisendum est, lectionem *vosque* pro *vos quoque* iam ab optimis sane Catulli editoribus acceptam esse, cum *que* et *quoque idem aliquando significant* (Vid. GIRII loc. cit.) Neque hic afferre licet et exempla ipsius Catulli (c. cii, 3) et Propertii (iv, 21, 15) quae id luculente testantur quaeque iam a litteratis viris pro debita ratione persensa sunt. Quod vero ad epitheton *vitreæ* attinet, apte mihi in undas videtur quadrare. Quid enim magis Catullum commovere et incendere poterat, nisi aquarum vitrearum aspectus, qui fere hic supervacaneum est quaerere quoties illum, in patriis finibus morantem, magnopere commoverit? Nonne primus rerum color nostros capit sensus allicitque? Non undæ *incitae*, non *intimae*, non *inclytae*, non *obviae* . . . redeuntem inflammare possunt, sed potius *vitreæ*, ni fallor. Cur vero de omnibus coniecturis propositis valde probabiles Ellisi priores iudicat, *limpidae* scilicet Avancii, ac *lucidae* (4) B. Guarini? Ego autem *vitreæ* potiorem existimo, pro paleographica ratione, ut mox demonstravero.

Vitreæ epitheton, idest clarae, pellucidae, caeruleae, undis appositum, non dissonum est ab optimorum scriptorum usu, et *vitreæ* (cum *i* ancipite) metaleptice

(1) *A Commentary on Catullus* by Robinson Ellis. — Oxford, 1889.
(2) *Catulli Vergnensis liber*. Erklärt von GUSTAV FRIEDRICH. — Teubner. Leipzig, 1908.

(3) Hos quoque locos afferit Ellisius: *Lydius Tibris* — VERG. Aen. II 782; STAT. *Lydia ripa* S. IV, 4, 6 (scilicet Tibridis); *Lydorum quidquid Etruscos incoluit fines*. — HOR. Sat. I, 6.

(4) Cf. *De locis qui sunt aut habentur corrupti in Catulli carminibus*. Scriptis IACOBUS GIRI. Vol. I. Augustae Taurinorum, apud Hermannum Loescherum. MDCCXCIV.

(1) Haud bene videtur id Pascolius explanasse (*Lyra*. pag. 75), quippe qui «Lydiarum undarum» recordationem ac memoriam perappositam iudicaverit, tamquam si undæ, leniter strepentes, de sermone gentium visarum poëtam revertentem commoyerent!

(2) Cf. *Riv. di Fil. class.* Luglio 1910, fasc. 3, a. xxxviii (Collectanea latina).

(3) *Vos quoque lacus undæ*. Ad Cat. xxxi. 13. Typis Societatis Ar-tium Graphicarum, Aquilae, MDCCXXII.

(4) Haec eadem lectio accepta est etiam a Bergkio (*Philolog. XVI*).

sumitur pro claris, pellucidis, caeruleis, etc. (FORCELLINI - *Lex. tot. Latin.*: - Vitreus - vitri colorem rejerens, clarus, pellucidus, ... — Saepe tribuitur aquis).

Cuius rei haec pauca exempla satis habe :

VERG. *Aen.* VII, (759) :

*Te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda
Te liquidi flevere lacus.* . . .

HORAT. *Lib. III. Od. XIII, 1* :

O fons Bandusiae, splendidior vitro.

AUSON. *De clar. urb. XIV*, 30 :

Salve fons... vitree, glaue, profunde, etc.

APUL. *v Metam. 1*:

Fons vitreo latice pellucidus.

Denique *Vulg. Interp. Apoc. IV, 6, et XV, 2* :

Mare vitreum. (1)

Reliquum est nunc ut lectionem *vitreae* ad trutinam paleographicae rationis breviter perpendamus ac tueamur.

Probabile enim mihi videtur *vitreae* epitheton, quod esset ab initio, in Lydiae seu Lidiae conversum esse, quum facile *l* et *v* ab imperito librario confundi possint; quae res eo facilius appetat, quo « *vitriae* scribitur vel pro *vitreae* ». (2)

Ex *vitriae* ecquis dubitat quin *lidiae* oriri potuerit, cum *t* in *d* mutetur interdum in scribendo, et *r* primo itteris imminutis superpositum, deinde gradatim ac sensim elisum evanuerit?

Vitreae (vel *vitriae*) = *lidiae*, *lidiae* = *lidiae*.

Neque vero obici potest, a *vitreae* apposito optimam Latinitatem abhorruisse: exempla hucusque allata contra testantur. Quod si vergilianum melius ac proprius persperxerimus, in quo et *vitrea unda*, et *liquidi lacus* verba adhibentur, nonne erit qui in eo tamquam Catulli vocem repercuttam inaudire posse credat?

Haec habui quae dicerem de Catulli versu 13, carm. XXXI; videant alii si quid veri simili dixerim.

Beneventi, a. d. VI kal. Decemb. MCMXIII.

M. GALDI.

(1) Ex illis qui, renatarum litterarum tempore, Benaci amoenitatem magnificec versibus celebraverunt, placet hic tantum P. Bembum memorare qui, in suo carmine cui titulus *Benacus*, *vitrearum lacus* undarum mentionem iniciit:

*Nuntius ut vitreas Benaci vectus ad undas
Musoso subter pendentia fornice tecta
Atque Dei lactis impletiv cocibus aures . . .*

(2) Cf. FORCELLI, *vitreus et vitrius*. — Inscript. apud Donatum 335, 5 Opifex artis vitrius. Eodem modo vitriarius, vitrearius, vitriarius. Alii legunt vitriarius, aliis vitrearius.

Quidquid dicturus es, antequam aliis dicito tibi. . . Qui n's it tacere nescit loqui.

SENEC., *de moribus*.

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS⁽¹⁾

Longa est et aspera de puerili institutione apud nos contentio. Quum vero cuncta sibi agenda publica protestas adroget, quaerendum est quomodo parentes securi possint suos instituere liberos in iis praesertim quae ad religionem pertinent. Quid de hac novissima eademque perniciosa studiorum ratione sentiat apud nos invecta, qua cura sit res agenda, quam plurimum praceptionibus atque eruditioni optimorum exemplarium dandum sit, identidem doluit sapientibus verbis, quibus et ipse Quintilianus assentiret. Et quo sum res sit evasura, acerrimo iudicio scrutatur. In tot rerum difficultatibus erit populorum salus sapientia christiana. Quot sanctissima consilia de hac re ex eius pectore profluant, maxime exaudire iuvabit:

« Christiana sapientia, qua luce mirifica abundat, in omnium oculis nitet necesse est, ut tenebris inscientiae, quae est religioni maxime inimica, depulsis, veritas longe lateque se pandat et feliciter dominetur ».

Quadam die, quartodecimo kal. Iul. an. MDCCCLXXVIII alumni sacrorum Perusii, provoluti ad Pontificis pedes, suum obsequium atque reverentiam, profusis gaudiis, profitebantur. Quibus ita respondit: « Quantam hodie iucunditatem ac solatium ex conspectu vestro animus Noster capiat, iuvenes dilectissimi, satis verbis promere et significare non possumus. Cum enim semper et maxime cordi Nobis fuerit studiosa iuventus, praesertim quae in spem Ecclesiae succrescens, ad christianas virtutes, litteras, scientiasque instituitur, cumque medios inter Perusini Seminarii ephebos, per triginta et amplius annos, frequenter libenterque versari consuevimus; optatissimus Nobis erat, postquam Divino consilio Petri Cathedram condescendimus, vos etiam praesentes cernere, et paternis vos compellare verbis, novellae Ecclesiae plantationes, electa germina sacerdotum Adnitendum est igitur primo, ut singulorum animi mature ad pietatem formentur, virtutem sequantur, eamque ab adolescentia vitae rationem ineant et servent, qua sanctis sacerdotum muneribus obeundis pares exstant ».

Atque in eodem semper proposito insistens, id unum exoptat ut a nostris scholis illi philosophi absint, qui non solum suis se acuminibus compungunt, quique nimia subtilitatis affectatione frangunt et concidunt quod est in oratione generosius, et omnem ingenii succumbibunt, atque quod foedius est, a veritate aberrantes in errores misere labuntur. Italos omnes et universos orbis terrarum sapientiae cultores ad purum doctrinae fontem, revocare studet in imitationem omnium philosophorum principis, S. Thomae Aquinatis. Plurimum enim conferet immensa illa doctrinae seges ab Aristotele.

(1) Cfr. num. sup.

tele petita, quam ipse aetate maturior cum civibus suis ita communicavit, ut merito dictus sit philosophiam a Graecis ad christianos transtulisse.

« Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integrerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinæ splendore complevit. Nulla est philosophiae pars, quam non acute simul et solide pertractavit; de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quoque explicandi facilitas desideretur ». (1)

Cum veritatis christianaे osores, veluti agmine facto in historiam se se conferunt, et insanum in modum Ecclesiam lacerant, Pontificatum Romanum misere calamniis deturpant, Ipse omnes ad sinceros historiae fontes nos adducit et reapse ostendit qua arte et per vicacia sint illi integritatem adorti, ut arma illa ipsa quae essent ad propulsandas iniurias optime comparata, ad inferendas detorserint. « Ex Pontificibus Maximis vel ii, quorum virtus excelluit, saepe notati vituperative perinde ac cupidi, superbi, imperiosi; quibus rerum gestarum gloria invideri non potuit, eorum reprehensa sunt consilia: illaque audita millies insana vox, de ingeniorum cursu, de humanitate gentium male Ecclesiam meruisse. Nominatim vero in civilem romanorum Pontificum principatum, libertati maiestatique eorum tuendae, non sine divino consilio institutum, eumdemque et iure optimo partum et innumerabilibus benefactis memorabilem, acerrima maledictorum falsorumque criminis tela coniecta ». Quid ea urbanitate ac paene poetico colore exultantiaque pulerius, qua nihil rerum novitate pressius, hac novos nostri temporis mores nativa omnino facilitate describit?

Ad omnium pulcherrimum opus nunc demum advenio. Quis de scriptoribus nostrae aetatis securius egit et nobilius disseruit de opificium conditione? Quis aptius in medias quaestionis res lectorem deduxit? Quis melius intellexit publica privatis secernere, sacra profanis et huius certaminis gravitatem difficultatemque cognovit et miseras opificium conditions magis graphicè pinxit atque ante oculos commodius explicavit? Quis opportunius remedium et magis efficax praebuit? Optandum tamen ex eius sententia in primis ut Christianorum opificum mores ad bonam frugem atque ad catholicas societas pertrahant sodales, qui impiis collegiis sunt adscripti. Novisse iuvabit quam lucide et quam perspicue signat quae sint miserandae opificium conditionis causae.

« Nam veteribus artificum collegiis, superiore saeculo deletis, nulloque in eorum locum suffecto praesidio, cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuissent, sensim factum est ut opifices inhumanitatè dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderit. Malum auxit usura vorax, quae non semel Ecclesiae iudicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem; hue accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulentis ac prædivites perpauci prope servile iugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint. (1)

Ita Pontifex, voce et scriptis ad opifices conversus, de eorum conditione iterumque remedium exhibuit, quod quidem prudentissimo cuique probatum iri est sperandum.

Est Romae posita nuper apud aedes Lateranas mar morea statua in honorem Leonis XIII. Adest Pontifex in editiore loco in habitu formaque regali præ manu immortales illas Litteras portendens, quibus opificium rationes mirum in modum pertractavit. Adsunt et opifices, qui in amoris signum ac grati animi, Ei gratulantur et pro munere gratias agunt et bene merenti maiores referre videntur. Si aliquando per temporum conditiones libeat, vellem quemadmodum ut Miltiadi olim, qui Athenas totamque Graeciam liberaverat, tributus est honos, ut in porticu quae Poecile dicebatur, cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem prætorum numero prima eius imago poneretur, isque horaretur milites praeliumque committeret, in anaglyptis circum ponendis inter quotquot de opificibus in melius fovendis hac nostra aetate scripserunt, Pontifex Max. principem locum obtinere possit.

Ad haec si Pius IX ob insignem pietatem erga Matrem Augustam, quam immortali ritu omnis labis neciam ab origine pronuntiavit, iure *Pontifex Immaculatae* vulgo adpellari meruit, Noster ob perpetuas itemque pias allocutiones atque epistolas De Mariali Rosario, quibus Christianos exhortaretur ut Beatam Virginem colerent, quae olim ad Echinadas insulas hostes Nomini christiani illustri Victoria contrivit, a posteris si libeat quid mente arguere, cognomento merito salutabitur *Pontifex Rosarii*. Et in his conficiendis vel poetico colore vel dignitate nunc Ciceronem audis nunc Livium, quorum studiosus maxime videtur, vel quod ad sententiarum naturam, vel quod ad ingenium scriptoris, vividum quidem ac grandioribus rebus natum, accommodari oporteat genus dicendi. (2)

SUBALPINUS.

(1) Enc. Aeterni Patris — 4 Aug. 1879.

(2) Confer opellam eui est titulus: *Leonis Papae XIII ex Actis excerpta* in usum scholarum curavit Albertus Caviglia Sac. Sal.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

M. Antonii Mureti oratio de via ac ratione tradendarum disciplinarum. (1)

Plerique eorum, qui quotannis ex hoc loco verba faciunt, laudare litteras et ingenuas artes, vosque adolescentes optimi, ad eas toto pectore amandas, atque colendas exhortari atque instigare consueverunt. Quorum ego neque consilium reprehendo, neque tamen omnia in eo posita esse censeo. Nam, aut si quis bonae valetudinis commoda exponat, eaque dicendo amplificet atque exaggeret, et ad eam omni studio conservandam homines cohortetur, neque tamen admoneat, quo genere victus, quibusque exercitationibus ea maxime comparari ac contineri debeat, non valde utilis videri possit illius oratio; ita parum prodest, aut laudare eas artes, quas certe nemo usque eo perstrictae frontis est, ut vituperare audeat, aut ad eas cohortari eos, quos illarum studiis deditos esse constat, nisi indicetur etiam via, qua quis ad illas facillime ac certissime pervenire posse videatur.....

Quaenam igitur orationis meae futura materia est? quibus de rebus dicens hanc ornatissimorum virorum, atque hanc honestissimorum iuvenum coronam, quam ex ore meo pendentem video demulcere, et delinire conabor? Exponam breviter, ac perspicuo a carceribus, ut dicitur, ad calcem ei, qui semel imbiberit in litteris, et in bonarum artium scientia excellere, quam studiorum viam ac rationem tenendam putem. Quod cum facio, quidam ex vobis decursum iam a se, et confectum curriculum agnoscent; alii, quod iter ad veram gloriam ferat, me monstrante cognoscent. Attente, ut me audiatis, me orandos quidem vos esse puto. Frustra id postulem, nisi attentionem mihi res ipsa, de qua dicere ingredior, conciliaverit.

Principio igitur positum sit Graecae, Latinaeque linguae cognitionem instrumentum esse ad parandam doctrinæ copiam, hoc quidem tempore plane necessarium. Id qui negant, aut quid verum sit non vident, aut contendendi studio in oppugnando eo, quod verum est, ostentare ingenii acumen volunt. Quare puer is, quem informare, ac describere ordimur, honesto loco natus, modicis opibus instructus ea corporis firmitate ut studiorum laborem perfere possit, ingenio neque agresti, et hispido, nec molli, et effeminato, sed eleganti, et ad honestatem propenso praeditus, sextum aetatis ingressus annum Graecarum, Latinarumque litterarum formas, nomina, potestatem, per ludum, iocumque condiscat, et id libentius faciat, non metu ac verberibus, sed praemolis, quibus aetas illa capi solet, identidem excitetur. Ubi annum in eo posuerit, ut, et Graece, et Latine satis facile, atque expedite legat iam septimo primis illis, maximeque grammaticorum utriusque linguae praeceptis imbuatur, nomina, et verba flectere, ac variare, et inter se sine vitio coniungere, ac copulare discat. Huic uni rei annum septimum tri-

bui velim. Octavo incipiat iam aliquid audire, aliquid legere, idque eiusmodi, ut, ad formandos mores, non nihil conferat, et voluptatem potius adferat, quam magnam ullam animi contentionem requirat. In hoc genere apud Graecos excellunt Aesopi fabulae, et Phocydidis carmina; Latini talium scriptorum inopia laborant, nisi quis easdem illas fabulas ab optimis et eruditissimis viris, Latinis versibus elegantissime expressas, illi aetati proponendas putet, et addendum, si quod exiguum poema puris verbis vitae praecepta continens reperiatur. Biennium consequens, id est, novum, ac decimum annum, ita libentissime posuerim, ut puer et libros Xenophontis de institutione Cyri, quibus nihil purius, aut suavius reperiri potest, et Caesaris potissimum commentarios legat, qui mihi unus ex omnibus Latinis ad illam nitidissimam Xenophontis simplicitatem proxime videtur accedere. Undecimus annus comoediis detur, ita tamen, ut, ex Terentio, Plautoque, et multo magis ex Aristophane quidquid inquinare pueris animos potest, aut resecetur, aut omittatur. Quod idem de omni scriptorum genere semel a me dictum accipivolo. Duodecimo Theocriti, Moschi, Bionis Idyllia cum Vergilii Bucolicis, Hesiodus cum Georgicis, cum Aeneide utrumque Homeri poema copuletur. Neque hos libros totos a praeceptoribus exponi arbitror debere. Cum tantum cuiusque a praeceptore audierit, ut sine cortice quod aiunt, nare possit, quod reliquum est suo ipse privato studio persequatur. Hinc rei biennium suffecturum puto. Illud interea ad magistri curam, et sollicitudinem pertinet, ut puer loquendo quidem quotidie scribendo autem alternis saltem diebus exerceatur. In ipso pubertatis ingressu primum exercebo eum in eis, quae Graeci vocant progymnasmata, id est, praeludia quasi quaedam, et praeexcursiones ad eloquentiam, de quibus exstat aureolus libellus Theonis Sophistae, qui si quid ego auctoritate possem, quotannis exponeretur in scholis, et ad praecepta, quae illie traduntur, iuvenes perpetuo exerceerentur.

Sed et hoc genus exercitationis, et omnis proponendum recta, et antiqua instituendae iuventutis ratio, non tantum intermissa iam pridem, sed oblitione obruta, ac sepulta est; quae si revocaretur, paucis annis existent homines vere copiosi, et eloquentes: isti autem clamatores, qui nomen eloquentum gesticulatione pantomimica, et vocabilitate linguae, et impudentia sibi pepererunt, ita facerent ut eos audire nemo posset. Ita igitur exercitatus adolescens totum se Ciceroni dedit, iugiterque se in illum uberrimum, et abundantissimum eloquentiae fontem, retinens perpetuo illum, quam a principio instituimus consuetudinem, ut Graeca cum Latinis, similia cum similibus conferat. Ciceronis epistolæ cum leget, evolvat eodem studio Platonis, Isocratis, Demosthenis, aliorumque Graecorum epistolæ, quae in duo volumina congestæ reperiuntur. Ad libros de Rhetorica scriptos adiungat Aristotelis libros eiusdem argumenti, quaeque eadem de re Dionysius Halicarnasseus, Demetrius Alexandrinus, Hermogenes, Longinus, aliique Graeci litteris prodiderunt. Ciceronis orationes, cum Demosthenis, Aeschinis, Lyiae, aliorumque veterum orationibus comparet: dialogos de philosophia, cum dialogis Xenophontis, et

[1] In orationis huius Mureti editione nonnulla omisimus, quae, e substantiali arguento exsulantes, a quaestionis cardine longius adducabant.

quibusdam Platonis, interea oblectamentum sibi ex alio genere poetarum petat, Pindarum cum Horatio, Euripidem, Sophoclem, Aeschilum cum Seneca, Apollonium, cum Valerio Flacco, epigrammata Graeca cum Catullo, et Martiale committat. Idem faciat in historicis, Herodotum. Thueydidem, Xenophontem, Polybium cum Livio, Sallustio, Tacito conferens. Et quoniam neque historia, nisi cognito orbis terrarum situ, neque hic sine aliqua mathematicarum artium cognitione percipi potest, his quoque utriusque temporis aliquid impertiat.

Cum ad plenam, ut iuris auctores loquuntur, pertinetem, id est ad annos octodecim pervenerit, graviora meditetur; ac primum quidem Analytices, et Dialectices praeculta non ex barbarorum lacunis, sed ex Aristotelis, et Graecis Aristotelis interpretibus huiusmodi, in eisque vere, ac serio biennium exerceatur. Hoc modo praecultus, ac praeparatus adolescens, si totam exigere in otio litterario volet, abunde habet quod agat: nunquam deerit quo pascat animum, etiamsi ei ad multa saecula vivendi spatium prorogetur. Sin aut ad Medicinam, aut ad Iuris scientiam, aut ad Theologiam applicare ingenium cogitat, medieus quidem futurus in Physicis, iuriconsultus in Ethicis, ac politicis, theologus in utrisque sese prius diligenter exerceat: hic tertius Hebraicas praeterea litteras discat, tum eorum quisque ad ea, quae dixi studia accedit. Quocumque enim se naturae suae ductum secutus contulerit, dubitandum non est, quin ut longissime, antequam annorum illum numerum expleat, quem Lycurgus adamasce dicitur, quique solus post senarium intra centum perfectus est, talis in suo genere futurus sit qualem in suo fuisse Roscium Cicero praedicat, qualem apud inferos esse Tiresiam ait Homericus Ulysses, quem solum sapere dicit, ceteros umbrarum in morem vagari.

Exposui vobis, adolescentes, iter non ad inanem scientiae opinionem, sed ad veram, et solidam eruditionem, arduum illud quidem, et difficile; sed cogitate nullo modo fieri posse, ut ad excelsa, et sublimia per plana veniatur: et alioqui credite hoc mihi sumnum in studiis labore summa voluptate condiri.....

COLLOQUIA LATINA

Refectio scholastica. (1)

NICOLAUS. — Vivitis ne hic laute?

PETRUS. — Quid istuc verbi est? An lavamur? Quotidie manus ac faciem, et quidem crebro; mundities enim corporis et sanitati et ingenio confort.

N. — Non id quaero; sed an edatis et bibatis ex animi vestri sententia?

P. — Nos non edimus ex animi sententia, sed ex palati sententia.

N. — Dico, an ut vultis?

(1) Ex colloquiis Io. LUDOVICI VIVES passim retractavit nostrisque moribus aptavit I. F.

P. — Maxime, nempe cum fame; et qui vult, edit; qui non vult, abstinet.

N. — Surgitis a mensa famelici?

P. — Non omnino sati. Nec expedit; beliuarum est enim expleri; non hominum. Regem quemdam sapientissimum narrant nunquam sine appetitu accubuisse; nunquam surrexisse saturum.

N. — Quid editis?

P. — Quae habemus.

N. — Putabam vos esse, quae non habebatis! Sed quae sunt ista tandem quae habetis?

P. — Molestum percunctatorem! Quae dantur.

N. — At quaenam dantur?

P. — Ientamus de mane sesquihora posteaquam surreximus.

N. — Quando surgitis?

P. — Fere cum sole, qui est dux Musarum, et aurora, gratissima Musis. Silatum nostrum est frustum panis autopyri et paullulum butyri, aut fructuum aliquid, qualis anni tempus suppeditat.

N. — Nunquam ne potionem ex arabicis fabis, aut caldam cacaoticam exsorbitis?

P. — Coffea nervos offendit; potio e cacaone cocta debilibus divitum stomachis ministratur.

N. — Quid vobis in prandio?

P. — Olus coctivum vel pultes in pultariis; rapae modo, modo brassicae, similago, oryza; aliiquid insuper carnium et fructuum. Tum diebus pisculentis, lac serosum in gabatis, e quo sit butyrum expressum, injectis aliquot turundis panis piscis recens aliquis, si sit in foro piscario pretiis tolerabilis; sin secus, salsa mentum probe maceratum; hinc pisa aut cicera, aut lentes, phaseoli, aut alia legumina.

N. — Quantum cuique ex his?

P. — Panis, quantum avemus; obsoniorum quantum est satis, non ad excludendum, sed ad alendum. Amplissimas epulas alibi quaerito, non in schola, ubi ad virtutem formantur animi.

N. — Quid bibitis?

P. — Alii frigidam et liquidam aquam, alii cerevisiam tenuem; pauci, et raro, vinum, idemque bene dilutum. Merenda, seu, si id mavis, anticoenium, est aliiquid panis et amygdalarum, seu avellanarum, ficorum aridorum, uvarum passarum; aut, si sit aestas, pyrorum, malorum, cerasorum, aut prunorum. Quum vero animi gratia rus profici scimus, tum habemus lac, vel liquidum vel coactum, et alia quae villa suggerit. Coenae caput est acetarium concisum, sale aspersum, irroratum oleo olivarum ex gutto, aceto etiam infuso. Tum in lata paropside aulicotia vervecina cum prunis passis aut radiculis, aut herbulis quae sint pro intrito: interdum tucetum saporis scitissimi.

N. — Quo condimento?

P. — Fame, omnium optimo et sapidissimo.

Hinc, certis diebus hebdomadis, aliquid assi, potissimum carnis vitulinae, haedinae aliquando in vere. Pro secunda mensa, raphani perpusillum, et casei non putris nec veteris, sed recentis, qui est, quam vetus, alibilior; pyra, mala persica aut cydonia. Diebus autem, queis carne fas non est vesci, habemus pro carnibus ova assa, frixa aut elixa: singula per se, aut in libum commixta; paullum interdum piscium, et caseo succedunt nuces.

N. — Quantum cuique?

P. — Bina ova singulis, et binae nuces.

N. — A coena nunquam ne comissamini?

P. — Quid? Censes ne porcos nos esse? Qui ventriculi, quae valetudo sufficeret post quaternas refectiones comissari? Heus tu, schola haec est, non saginaria!

N. — Licebit ne coenae vestrae interesse?

P. — Facile, modo venia petatur a praceptor, quam scio illum daturum non gravare; nam solet; alioquin pravae esset educationis ingerere te convivio, inscio magistro; et qui te adduceret, nihil aliud, quam probrum et pudorem contraheret apud condiscipulos. Mane paullisper. — Magister, licebit ne, cum bona tua venia, puerum hunc mihi notum adhucere nostrae coenae?

PRAECEPTOR. — Maxime; non erit molestus.

P. — Habes gratiam. - Ephebus hic, quem vides gestantem mantile pro focali, munere fungitur architriclini per hanc hebdomadem; nam hebdodarios habemus hic architriclinos, ut apud reges.

ARCHITRICLINUS. — Laurenti, quota hora est?

LAURENTIUS. — Horas non audivi a tertia, intentus compositioni epistolae. Florus melius id norit, qui toto hoc pomeridiano tempore librum non vidit, neque chartam.

FLORUS. — Amicum testimonium et apud magistrum iratum valde utile! Sed qui potuisti tu id animadvertere, immersus (ut ait) compositioni epistolari? Plane malevolentia te coegit mentiri. Gaudeo profecto inimicum meum pro mendaci haber. Si quid posthac voluerit calumniari, carebit fide.

A. — Non potero aliunde cognoscere de hora? Blasi, nonne tu habes horologium?

B. — Index signat iam sextam.

A. — Sextam vero?

PR. — Sextam? Eia, pueri, agite; eia, consurgite et abiicite libros. Parentur mensae, insternantur; apponantur sedilia, mantilia, orbes, quadrae, panis. Famuli, dicto citius volate. Prome tu cerevisiam; tu hauri aquam, appone scyphos. Quid istuc rei est? Tam obnubilatos adferas? Refer in culinam ut fricentur et extergantur eo probe, quo sint nitidi et fulgentes. — Sunt parata omnia? Est aliquid quod nos remoretur?

A. — Nihil omnino.

PR. — Ne postea facturi simus intervalla magna inter missus.

A. — Adsideratis. Tempus est, et propemodum coena corruptitur.

PR. — Pueri, abluite omnes manus et os. Vah! Quod mantile! Qui hic se extergunt? Ubi mundantur? Curre, adfer aliud purius. Petre, novum quem attulisti convivam recipe apud te. — Expediat quisque cultellum suum, et purget quisque suum panem, si quid haeret vel cineris vel carbonum in crusta. — Sedete, quantum licet, laxe, ne comprimatis mutuo, quandoquidem satis est loci. Et tu, hospes, non habes cultellum?

N. — Mihi vero cultello non est opus. Dentibus frangam mordendo panem, vel digitis bucellatim comminuam.

PR. — At est indecorum. Architricline, suppedita isti.... Quod habes nomen?

N. — Nicolaum.

PR. — Coenae supellectilia huic Nicolao struas. Nicolae, ubi fecisti latinae linguae tyrocinium?

N. — Romae, in regio gymnasio.

PR. — Optime quidem. Quam pridem ab Urbe venisti?

N. — Nudius sextus.

PR. — Quam nuper coepisti studere?

N. — Abhinc annos tres.

PR. — Non potest te profecto poenitere.

N. — Merito; nam habui magistrum doctissimum.

PR. — Ecquem?

N. — Theodorum Nervium.

PR. — Ah, virum quidem diligentem, eruditum, probum! Novi iam eum adolescentem in athenaeo, deinde habui collegam in pueris edocendis. At quid nunc agit Nervius noster?

N. — Dicunt eum agere athletam, non tamen athletice.

PR. — Quid istuc rei est?

N. — Quia luctatur semper, sed parum fortiter.

PR. — Cum quo?

N. — Cum suo morbo articulari.

PR. — O palaestritum dolosum, qui primum omnium invadit pedes!

N. — Imo luctatorem infelicem cui ab adversario totum corpus per insidias constringitur!

PR. — Sed tu quid agis? Qui cessas? Videris huc spectatum venisse, non coenatum. Et vos, pueri, cur non tractatis hospitem comiter? Nicolae, praebibo tibi.

N. — Magister, excipio animo libertissimo.

PR. — Iusculenta haec conglaciarunt. Fac, architricline, ut reponantur aliquantum in foculo mensario priusquam panem intingamus... Neque raphanus hic est esui; adeo est lentus. Quamquam lentorem non a macello, ut puto, attulit; sed hic

contraxit, in nostro penore, qua cella nihil est penius incommodius. — Contra, coquus nimis indidit piperis et gingiberis in iure hoc, et in acetario nimum menthae, petroselini, salviae, erucae, nasturtii, hyssopi. Nihil puerorum et adolescentum corporibus aequa damnosum, ut cibi qui interiora ferentur faciunt.

A. — Quibus igitur ex herbis velles confici?

PR. — Lactucis, buglossa hortensi et portulaca... Heus! tu, Emmanuel, ne extergas labra manu, aut manica; sed simul ipsa, simul manum mantili; nam ideo tibi datur. Carnes ne attingas, nisi ab ea parte qua tibi es sumpturus. — Tu, Donat, non animadvertis te manicas tuas inficere pingui carnium? Reduc eas, si satis apertae sunt, ad humeros; si non sunt, corruga, vel complica ad

cubitum: quae si relabantur, affige acicula. — Tu, dominaster delicatule, in mensam incumbis? Ubi id didicisti? In hara quapiam? Heus! subiicie eius cubito pulvillum! — Architricline, vide ne analecta haec pereant: repende in promptuarium. Famule, amove mensam: primum omnium salinum, hinc panem, tum lances, discos, mantilia, postremo mappam. — Heus, tu, Cinciole, ne sculpas dentes scalpello; nam est noxium: conficito tibi dentis scalpium pennula, vel bacillo tenui, acuminato, et scalpe modice, ne gengivas scarnifices et sanguinem elicias. — Consurgite omnes et abluite manus... Vocetur minister, ut pavimentum hoc scopis verrat. — Vos demum, pueri, ite lusum, et confabulatum, et deambulatum quo libuerit, dum licet per lucem.

TIBICINES NATALITII



Hos Italice dicimus *Pifferari*. Qui montani homines ex oppidis suis, in Samnii praesertim urbes mense Decembri adhuc adveniunt, et Iesu Pueri ortum rudibus suis cantuunculis celebrant.

*Cum bruma horridulum refert Decembrem,
Et sacrae properant inire cursum
Venturo hebdomades Deo Puello,
En agros litui suos relinquunt,
Urbem ut carmine mulcent beatam.
Binos monticolas modo huc modo illuc
Discursare vides: acutus ollis
Galerus premit hispidum capillum;
Ad curtas male ludit usque braccas
Tritum palliolum; et subesse plantis
Ambigit solea adligata sure.
Unus ludere tibia peritus,
Argutos levior modos pererrat:
Inflans alter utrem tumente bucca
Alternoque simul reflans lacerto,
Gravis succinit usque et usque cannis.
Ergo pro tenui stipis lucello,
Ubi aut unctior advocat taberna,
Vel civis patet atrium potentis,
Vel sancto colitur tabella vico,
Novenis Pueri Deo diebus
Rudem instant iterare cantilenam.
Sopitum excitat haec rubente mane,
Haec summo obrepit, haec cadente sole,
Seu tu flaminiam negotiosus
Seu serus madidam teras suburram.
Io, monticolae boni, per urbem
Plebs cantum pia rusticum secundet:
Sic vestris utribusque tibiisque
Divinus faveat Puer, nec imus
Unquam pulmo neglet ciere flatum,
Donec turgida sit crumena nummis.
Sed reges ubi venerint eoi,
Tum salvis liceat gradu citato
Ad larem et patrios redire montes.*

H. N.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

In vino veritas.

Passim apud auctores usurpatum est hoc adagium, significans ebrietatem animi fucum tollere, et quidquid in pectore conditum est, in apertum proferre. Plinius (l. xv, c. 22) scripsit, vinum usque adeo mentis arcana prodere, ut mortifera etiam inter pocula loquantur homines et ne per iugulum quidem reddituras voces contineant: vulgoque - inquit - veritas attributa vino est.

Celebratur et Persae cuiusdam apophthegma, qui negavit tormentis opus esse ad exquirendum verum; vino enim rectius elici. Quod adprobans Horatius, in *Odis* scripsit:

*Tu bene tormentum ingenio admores
Plerumque duro, tu sapientium
Curas, et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo.*

Idem in *Arte poetica*:

*Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborent,
An sit amicitia dignus.*

Rursum alibi:

Quid non ebrietas designat? Operata recludit.

Effertur et ad hunc modum apud Athenaeum (lib. II) paroemia: « Vinum et veritas » Quod largius poti non tantum effutiunt sua arcana, verum etiam audacius in alios loquuntur. Apud Plutarchum (in vita Artaxerxis) Sparamixas Mithridati per vinum quiddam insolentius elocuto: « Nulla quidem invidia est, o Mithridates, - inquit - ; ceterum quando Graeci dicunt vinum et veritatem esse, etc. »

Celebratur quoque a Graecis sententia proverbialis, quae latine sonat: « Quod in corde sobrii, id in lingua ebrii ».

Theognis:

*Aurum aut argentum fabris dignoscitur igni;
Vinum hominis prodens arguit ingenium.*

Athenaeus, quem supra memoravimus, refert quoque de re (lib. X) Anacharsidis dictum, falsas scilicet opiniones temulentis accidere; ac mox narrat quiddam haud infestivum. Quidam e convivis dixerat Anacharsidi: « Uxorem duxisti admodum deformem ». At ille: « Prorsus - inquit - idem mihi videtur; sed, heus puer, porridge poculum meracius, ut illam faciam formosam ». Non solum igitur amanti, verum etiam ebrio quae pulchra non sunt, pulchra videntur, quemadmodum inquit Theocritus.

Quamquam qui potest dicere qui labatur rerum iudicio? Atqui veritas non semper respondet mendacio, verum interdum simulationi. Potest autem

fieri ut ex animo loquatur qui tamen falsum dicat; et verum dicat qui non vere loquatur.

Postremo proverbium non sentit de insana temulentia, quae facit ut quae fixa sunt ambulare videantur, et quae simplicia videantur multiplicia; sed de moderata, quae dysopiam ac fumum excutit.

Alcibiades (in *Sympasio Platonis*) scribit: « Quae vero nunc sequuntur, non prius audietis, quam proverbium illud recenseamus: « Vinum et cum pueritia et sine pueritia veridicum est ». Quibus ex verbis liquet, idem de pueritia, quod de vino iactatum fuisse. Atque durat et hodie vulgo tale proverbium, non audiri verum, nisi a tribus hominum generibus: pueris, ebriis et insanis.

Huc adscriendum quoque arbitramur versiculum illum proverbiale:

Verum solet prolapsa lingua dicere.

Nam verum esse creditur quod exciderit imprudenti quandoquidem id demum vacat fictionis suspicione. Ex huiusmodi lapsu colliguntur et omnia certioris fidei:

*Saepe Neoptolemi pro nomine nomen Orestis
Exit, et errorem vocis ut omen amo.*

Denique M. Tullius in *Topicis*, inter ea, quae certam faciunt fidem, commemorat pueritiam, imprudentiam, vinolentiam, insaniam.

ACTA PONTIFICIA

MOTU PROPRIO.

De officiis divinis novo aliqua ex parte modo ordinandis.

PIUS PP. X.

Abhinc duos annos, cum Constitutionem Apostolicam ederemus *Divino afflatu*, qua id proprie spectavimus, ut, quoad fieri posset, et recitatio Psalterii absolveretur intra hebdomadam, et vetera Dominicarum Officia restituerentur, Nobis quidem alia multa versabantur in animo, partim meditata, partim etiam inchoata consilia quae ad Breviarii Romani, susceptam a Nobis, emendationem, pertinerent; sed ea tamen, cum ob multiplices difficultates tunc exsequi non liceret, differre in tempus magis commodum compulsi sumus. Etenim ad compositionem Breviarii sic corriganam ut talis exsistat, qualem volumus, id est numeris omnibus absoluta, illa opus sunt: Kalendarium Ecclesiae universalis ad pristinam revocare descriptionem et formam, salvis tamen pulcris accessionibus, quas ei mira semper Ecclesiae, Sanctorum matris, fecunditas attulerit; Scripturarum et Patrum Doctorumque idoneos locos, ad genuinam lectionem redactos, adhibere; sobrie Sanctorum vitas ex monumentis retractare; Liturgiae plures tractus, supervacaneis rebus expeditos, aptius

disponere. Iam vero haec omnia, doctorum ac prudentum iudicio, labores desiderant cum magnos, tum diuturnos; ob eamque causam longa annorum series intercedat necesse est, antequam hoc quasi aedificium liturgicum; quod mystica Christi Sponsa, ad suam declarandam pietatem et fidem, intelligenti studio conformavit, rursus dignitate splendidum et concinnitatem, tamquam deterso squalore vetustatis, appareat.

Interea ex litteris et sermone multorum Venerabilium Fratrum cognovimus ipsis et permultis sacerdotibus esse optatissimum, ut in Breviario una cum Psalterio nova ratione disposito suisque rubricis adsint mutationes omnes, quae ipsum novum Psalterium vel iam sectuae sunt vel sequi possunt. Quod cum instanter a Nobis peterent, simul significarint se vehementer cupere, ut et Psalterium novum usurpetur frequentius, et Officia Dominicarum serventur eo studiosius, et incommodis Officiorum translationibus occurratur, et alia quaedam quae bonum videatur mutari, mutantur. Huiusmodi Nos vota, utpote rerum veritati innix. Nostraenque admodum consentanea voluntati, gratae e- quidem accepimus: iis autem obsecundandi nunc esse tempus arbitramur. Certiores enim facti sumus officinatores librarios, qui sacrorum Rituum Congregationi inserviunt, exspectantes dum Breviarium Romanum decretorio modo ac definitivo corrigatur, in eo esse ut novam interim ipsius Breviarii editionem adornent. Hae uti occasione visum Nobis est; propterea, implo rato divinae Sapientiae lumine, consultatione habita cum aliquot S. R. E. Cardinalibus, rogataque proprii cuiusdam Consilii sententia, haec Motu Proprio statuimus, edicimus:

I. — Secundum priscam Ecclesiae consuetudinem, ne facile Officia Dominicarum praetermittantur. — Itaque nullum festum, ne Domini quidem, statuatur posthac Dominicis celebrandum; ex his tamen excipiatur, ob peculiarem ipsius naturam, ea quae a die prima ad quintam Ianuarii occurrat: quam recolendo sanctissimo Nomine Iesu, propter coniunctionem quam habet cum mysterio Circumcisionis, assignamus. — Festa vero, quibus usque adhuc dies Dominica attributa erat, omnia, praeter festum sanctissimae Trinitatis, in aliam diem perpetuo transferantur. - Ne forte autem per Quadragesimam aliquod omittatur ex Dominicarum Officiis, quae mire facta sunt ad excitandum in animis christianam poenitentiam, eius temporis secundam, tertiam et quartam Dominicam ad gradum I Classis promovemus.

II. — Cum recitationi Psalterii celebratio Octavorum sit impedimento, id ut rarius contingat, in posterum sola duplia I Classis, quae Octavas integras habent, eas conservent: verum in hisce ipsis Octavis, exceptis privilegiatis, Psalmi de Feria currenti usurpentur. — Octavae autem duplicium II Classis solo Octavo die celebrentur et quidem ritu simplici.

III. — Lectionibus de Scriptura occurrenti semper adhaereant Responsoria de Tempore.

IV. — Nulla, ne perpetua quidem, Festorum, quae in Ecclesia universalis celebrantur, translatio fiat, nisi duplicium I et II Classis.

Iam, quae hic a Nobis praescripta sunt, ea quemadmodum adduci ad effectum debeant, et quid praeterea novi non modo in Breviarium, sed etiam in Missale, quod cum illo congruat oportet, indidem emanet, sacra Rituum Congregatio, peculiaris *Commissionis*, a Nobis institutae consulta sequens, propriis decretis constituet, eademque tum Breviarii tum Missalis novam editionem typicam faciendam curabit.

Has ipsas quidem praescriptiones volumus, statim ut hoc Motu Proprio promulgatae sint, valere. Sed tamen, ratione habita vel Kalendiariorum quae iam sunt confecta in annum proximum, vel temporis quod typographi requirunt, sinimus eos, qui ad officium persolvendum Romano utuntur Breviario, tum e Clero saeculari tum e regulari utriusque sexus, his praescriptionibus non teneri nisi a Kalendis anni MCMXV. Qui vero aliud legitime usurpat Breviarium a Romano diversum, iis sacra Rituum Congregatio definiet intra quos terminos ad easdem praescriptiones accommodare sese debeant.

Cuiilibet autem liceat comparare sibi atque ad horas canonicas recitandas etiam nunc adhibere Breviaria quae sunt in usu, dummodo tamen peculiari in libello habeat, unde Constitutioni *Divino afflatu* ac decretis quae illam subsecuta sunt, obtemperare possit, ac simul quae hoc Motu Proprio Nos statuimus et quidquid eandem in rem sacra Rituum Congregatio decreverit, diligenter observet.

Atque haec omnia constituimus, edicimus, contraris quibusvis, etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiii mensis Octobris MCMXIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. xiii mens. Novembbris MCMXIII damnatur, proscriptur atque in Indicem librorum prohibitorum refertur opus cui titulus:

ANTONIETTA GIACOMELLI. *Per la riscossa cristiana.* (Milano, 1913).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

Decretum de aliquorum locorum disciplina in initio causarum Servorum Dei emendanda, et de historicis documentis ad ipsas causas recte adhibendis.

De Servis Dei, quorum sanctitudo vitae legitime examinanda curatur, nonnullis maxime locis usu venit,

ut, cum admoveatur manus ordinariis processibus instruendis super eorum virtutibus vel martyrio, sacra quaedam solemnia in ecclesiis indicantur, ac signata *Commissione* ad causam pertractandam apud S. Rituum Congregationem, vulgo diffundatur nuntius, non aequo prorsus loquendi modo, Dei Servum, cuius causa introducta sit, *Venerabilem ab Apostolica Sede esse declaratum*, atque inter ea solemnia pro gratiarum actione panegyricae etiam orationes habeantur eaeque saepius adeo immoderatae, ut facile in errorem inducantur fidèles, debitam putantes eisdem Dei Servis veneracionem, quae solis beatificatis et canonizatis debetur. Haec animadvertisit Ssmus. D. N. Pius Pp. X, ne quid Ecclesiae disciplina detrimenti capiat, primum omnium solemnia, quae contra pristinam consuetudinem celebrantur cum agitur de inchoandis processibus ordinariis, reprobavit et prohibuit: deinde recolendam mandavit declarationem additam die 19 februarii 1658 Decretis f. r. Urbani VIII, *Ne, scilicet, per Commissiones introductionis vel reassumptionis seu ulterius progressus causarum tum signatas tum signandas ullum beatitatis vel sanctitatis, aut induluae venerationis et cultus argumentum vel minimum desumi, nec aliud quocumque ius, quantumvis modici aut fere nullius momenti, in eiusdem causis quaesitum dici vel praetendi possit*: denique, adhibito consilio gravium virorum et exquisito peculiari voto nonnullorum S. R. E. Cardinalium, vetuit Servos Dei quorum causae posthac introducentur, *Venerabiles* appellari, item solemnia peragi occasione decreti editi super causae introductione. Inhaerens autem sententiae f. r. Benedicti XIV, qui tutius fore censuit a panegyricis orationibus penitus abstinere in honorem Servorum Dei nondum beatificatorum, eas haberi orationes edixit in posterum non licere. Permisit vero ut Servi Dei tantummodo post editum decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio *Venerabilis* titulo ornentur, ita tamen ut ex hac permissione nullum argumentum induluae venerationis item argui vel praetendi possit. Praeterea consulens pietati fidelium, qui facile hisce in casibus sacrae occasione solemnitatis decipi possent, putantes fas esse ut beatum colere eum de cuius beatificatione iudicium adhuc apud S. R. C. pendeat, solemnia ad gratias Deo agendas etiam post editum decretum super heroicitate virtutum vel martyrio pariter prohibuit, qua tamen prohibitione impedire non intendit quominus in missis addatur, prout decet, collecta pro gratiarum actione.

Idem Ssmus. D. N. ad rectam tractationem Causarum beatificationis et canonizationis, earum praesertim quae partim historicis monumentis nituntur, vel earum quae subsidiariae probationis privilegio gaudent, illis ipsis in consilium adhibitis quos supra diximus, et exquisita sententia Rmi. Patris Promotoris sanctae Fidei haec constituit:

I. — In omnibus causis, praesertim recentioribus, Rmi. Ordinarii in condendo informativo processu praeter

testes qui causae favent, eos etiam universos omnes qui causae adversantur excutiant, nemine excepto, idque sub poena nullitatis, onerata conscientia tum Ordinariorum tum Promotorum fiscalium.

II. — In omnibus causis, praesertim antiquis, cum processu ordinario sive informativo compulsentur omnia et singula historica documenta sive manuscripta, sive typis edita, quae quocumque modo causam respiciant quae agitatur. Ad hoc non modo monendi sunt detinentes iura compulsanda, ut ea Ordinario exhibeant; sed, si res postulaverit, examini subiiciendi erunt sub religione sacramenti custodes cuiusvis archivi vel tabularii sive publici sive privati; summa quoque diligentia et industria curandum est ut cuiuslibet generis documenta ad causam conferentia conquerantur, quae omnia et singula cognoscenda sunt ad normas traditas a fel. rec. Bonifacii XIV, lib. II, c. LIII.

III. — Antequam in Congregatione ordinaria discutiatur dubium super introductione Causae, sacrorum Rituum Congregationis erit exquirere, pro re nata, documenta apud Curias, uti vocant, generalitias Ordinum et Institutorum religiosorum tum virorum tum foeminarum, neconon in tabulariis sacrarum Romanarum Congregationum, et ubicumque iure praesumitur ea posse reperiri.

IV. — Omnia et singula documenta, sive compulsa cum processu ordinario, sive a S. R. C. collecta, subiiciantur iudicio peritorum a S. R. C. eligendorum, qui scriptis doceant de eorum auctoritate et vi.

Promotori vero Fidei, antequam indicetur Congregatio ordinaria pro introductione causae, omnia documenta exhibeantur una cum sententia peritorum.

V. — Documenta potiora praecipue ex integro typis edantur, praenotatis nomine auctoris, tempore, loco et ceteris id genus adiunctis, atque inserantur Positionibus super virtutibus vel martyrio, una cum relatione peritorum, quos supra memoravimus, de auctoritate et vi documentorum.

VI. — In Positionibus pro Congregationibus Ordinaria, Antepreparatoria et Praeparatoria, animadversionibus Promotoris Fidei praemittatur synopsis vitae Servi Dei cuius causa tractatur, breviter et lucide ex officio conscripta, desumpta tum ex testibus tum ex documentis.

VII. — In singulis vero Causis beatificationis, quarum iudicium in praesens apud S. R. Congregationem quocumque modo pendeat, sacra ipsa Congregatio non procedat ad ulteriora, nisi exhibitis, ab interesse habentibus, et exquisitis ex officio documentis iisque omnibus examinatis quo modo supra dictum est.

Quae omnia et singula Sanitas Sua decrevit et servari mandavit, curaeque et vigilantiae commisit praesertim Secretarii S. R. C. et Promotoris S. Fidei pro tempore, atque in Acta Apostolicae Sedis referri iussit die 26 Augusti 1913.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Novembri MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque Viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Peregrinorum manus ex Pompeiana valle; ex dioecesibus Signina, Reginensi ceterisque Calabriae provinciae, Sarsinatensi, Aquaeependensi, Albae Pompeiae, ex Monte Casino; ex Mexicana et Argentinensi civitate; ex dioecesibus Marsorum, Nolana, Aeserniensi et Venafrana, Utinensi, Sublacensi, Tarentina, Uritana, Brundusina, Centumcellarum, Cornetana. Praeterea excusus vir Firminus Calbeton Blanchon, Legati extraordinarii atque administrarii cum omni potestate ex Hispania apud Apostolicam Sedem munere functus; revmus. vir Ignatius Ephrem II Rahmani, Patriarcha Syrius Antiochenus una cum Abdul Masiach Patriarcha, ex Monophysitarum factione ad catholicam fidem recens conversus; Septentrionalis Americae classiarii Neapolim appulsi cum navarcha atque centurionibus suis.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per S. C. Consistorialis decreta, SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur Ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: cathedrali eccl. Monopolitanae praefecit sac. Nicolaum Monterisi, canonicum-parochum cath. eccl. Barolensis; cathedralibus ecclesiis Potentiae et Marsicensi sac. P. Robertum, in saeculo Achillem Razzoli, Ord. Fr. Min. Unionis Leonianae, iam custodem Terrae Sanctae; titulari eccl. episc. Hippusensi sac. Ioannem Plaza et Garcia, magistrum scholae eccl. cath. Calaguritanae; tit. eccl. episc. Philadelphiensi sac. Dominicum Pasi, parochum eccl. S. Margaritae in dioecesi Faventina, quem constituit auxiliarem Emi. ac Rmi. D. Cardinalis Iulii Boschi, archiepiscopi Ferrarensis; tit. eccl. episc. Cisamensi sac. Henricum Ioeppen, vicarium castrensem exercitus Borussici; cathedr. eccl. Brixensi revnum. Hyacinthum Gaggia, hactenus episcopum tit. Hadrumetinum; cath. eccl. Iaccensi sac. Emmanuel De Castro et Alonso, canonicum metropolitanae ecclesiae Vallisoletanae; tit. eccl. episc. Pentacomiensi sac. Franciscum Vidal et Barraquer, archipresbyterum metropolitanae ecclesiae Terraconensis; tit. eccl. episc. Germensi sac. Eduardum Kozlowski, dioec. Grandormensis, quem constituit auxiliarem revni. dni. Sebastiani Messmer, archiepiscopi Milwaukiensis.

— Rmi. dni. Iosephus Fameli et Henricus Benedetti inter Consultores S. Congregationis Concilii; rr. pp. Marianus Fernandez Ord. Min. et Ludovicus Rivet S. I. atque rni. dni. Aloisius Sincero, S. Romanae Rotae Auditor, et Salvador Luzio inter Consultores S. C. Religiosorum adnumerantur.

— Purpuratus Pater Octavius Cagiano de Azevedo Praefectus dicitur S. C. Religiosorum.

— Exmus. dnus. Alfonsus Alexander Nouel, archiepiscopus S. Dominicci, Delegatus Apostolicus Cubae et Portorici creatur.

Varia.

In Xystino sacello adstante Pontifice die v mensis Novembri decimus anniversarius ex obitu Leonis PP. XIII; ac die xvi decimus anniversarius ex coronatione Pii X P. M. — quem Deus diutissime sospitet — religiosis sollemnis commemorantur.

ANNALES

In Europa orientali restituta pax.

Qui annum hunc MCMXIII, orientem in sanguine magno cum animi moerore vidimus, decadentem, in Europa saltem, alaci gaudio consalutare iuvat: pax enim inter Graecos ac Turcas et ipsa firmata est. Cuius compositionis auctor praecipuus laudandus est Rumenus civilium rerum minister, qui simplicem hanc de re proposuit rationem: ut scilicet in feriendo foedere conditiones omnes sanctarent circa quas utriusque partis consensus exsistaret; ad Hagense autem tribunal quae in controversia versarentur, deferrentur.

Quo quidem honestae interpretis interventu Romena civitas eam se auctoritatem acquisivisse ostendit, ut in cunctis Balkanicis quaestionibus, quae futurae sint, certe negligi nunquam possit.

Nunc autem, diurnae huiusmodi controversiae impedimento sublati, sperare licet fore ut discri- men Albanense, ad quod magnarum civitatum gubernia sollicitudinem suam verterunt ut iuxta statutos iam fines definiatur, decorum et ipsum exitum sortiatur; eoque magis quod De Wied princeps, earumdem civitatum cum suffragio, nomen suum ad Albanensis populi regiam dignitatem ob- eundam sit palam professus.

Mexicanum civile bellum.

In Mexicanana regione contra, acerrime semper dimicatur. Huerta ille praeses per vim electus a munere se abdicare renuit pro patriae salute, ut ille asserit. Interea Civitates Foederatae Americae Septentrionalis civiles ex auctoritate publica rationes cum Mexicano gubernio removerunt; extrema tamen experiri adhuc morantur, hac etiam ratione, quod scilicet fieri possit, ut notabiles factionis Huertae adversariae successus res ita mutare valeant, ut exterus interventus inutilis sit exstiturus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Austria** congregatae Vindobonae sunt utriusque civitatis, Austrorum scilicet atque Hungarorum, delegationes; quibus Franciscus Iosephus orationem habuit de difficultatibus praesertim feliciter superatis in Balkanica regione. Deinde communis thesauri rationes in examen revocabuntur.

In **Gallia** nova suffragii iura sancta. Lex nunc agitatur de novo publico foenere contrahendo ad obeundas expensas, praesertim militares.

In **Germania** Von Falkenhayn, novus bellicae rei minister, leges de secreto militari servando deque delatoribus severe puniendis, ipse defendit.

In **Graecia** publico coetui rex orationem habuit, in qua, resumptis praecipuis patriae nuperis eventibus, spes futurae Helladis exposuit.

In **Hungaria** de conditionibus renovandis, quae editorum libertatem dirigant, acerrime disceptatur.

In **Italia**, novis habitis per latius suffragium comitiis, publicus popularium legatorum conventus a rege initiatus.

In **Lusitania** pariter nova comitia habita, quae favorabilia factioni illi quae gubernio preeest omnino cesserunt.

In **Rumenia** per regiam orationem recens civitatis fortuna laudibus sublata.

In **Russia** rogatio legis reiecta de civilibus iuribus omnibus civibus pariter aequaliterque concedendis.

In **Serbia** reditus civitatis recogniti.

In **Sinis** publicus coetus a reipublicae praeside dimissus.

PER ORBEM

Die I mens. Novembbris MCMXIII atra procella ab imo vertens mare in Oceano Atlantico naufragia aliasque ruinas, oppidis quoque prope litus positis, praesertim Gallorum Mauritanae coloniae, infert.

— d. IV petrolei cisternae ad Rumenicum oppidum Moreni late incenduntur.

— d. V ex urbibus Melun in Gallia ac Rivi Ianuarii in Brasilia ferriviarum occursus cum magna viatorum clade nunciantur.

— d. VI Aloisius III, Bavarii regis Othonis, viginti iam ac septem annos mente capti, nepos, Bavariae rex renunciatur.

— d. VIII Alfridus Russel, peregrinator illustris ac naturalium disciplinarum doctor insignis, Londini obit.

— d. XIII foeda tempestas Cleveland, Septentrionalis Americae urbem, vastat; lacus ibi supra ripas sese effundentes sata, merces ipsosque homines misere in ruinam trahunt.

— d. XIV Bancay, Peruviana urbs, pene omnis improviso terrae motu subvertitur.

Stocolmae, Nobelium praemium anni MCMXIII de litteris Rabindranath Tagore, Indico poetae, tribuitur.

Kiamil Pacha, quondam Turcici gubernii praeses ab Enver illo *bey* per vim depositus, conservatorum factionis in sua civitate princeps, exsul Larnacae in oppido Cypri insulae moritur.

— d. XXI Rodulfus Acri, christianae philoso-

phiae, quam docuit in athenaeo Bononiensi, adsertor amplissimus, gravis anni Bononiae placide quiescit in Domino.

Centenaria dies ex quo Batavia integrum solidamque libertatem obtinuit, Amstelodami sollemniter revocatur.

— d. XXVI Lutetiae Parisiorum in templo SS. Cordis Iesu ad Montmartre Ludovicus Veuillot, praeclarus ille catholicorum diariorum scriptor, abhinc annos centum natus, coram Purpuratis Patribus Amette et Luçon, pluribusque Galliae episcopis religiose commemoratur.

— d. XXVIII loricata Anglorum nova navis, cui nomen *Emperor of India* Barrow in sinu feliciter immittitur.

In Hispaniae oppidi, Montevedra piscatorum lata insula flammarum praeda fit.

— d. XXIX incendia pariter, cum damnis maximi momenti, ex navalibus ad Helsingfors, ac Bombay ex urbe nunciantur.

Curruum series vapore actorum Roma recto tramite Neapolim petens, ad Ceccano oppidi stationem in alteram mercibus onustam offendit. Ex collisu viatores quinque necati; viginti circiter vulneribus affecti lugentur.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

Lettura Costantiniane promosse dal Consiglio superiore nominato da S. S. Pio X e dal Comitato Romano per il XVI centenario della proclamazione della pace della Chiesa. — Romae edid. Desclée et Soc. — (Ven. lib. 3).

Mons. FRANCESCO HEINER. — *La dottrina dei Modernisti confutata*, ossia il Decreto « Lamentabili sane exitu » della Congregazione del S. Ufficio in data 3 luglio 1907 concernente gli errori de' modernisti e la loro condanna, esposto e commentato. — Versione italiana di Mons. Germano Straniero. — Seconda edizione rivista e corretta. — Indidem. (Ven. lib. 3,50).

RAYMOND V. — *La Guida dei Nervosi e degli Scrupolosi*. « Vade mecum » di tutti quei che soffrono e che vedono soffrire. — Opera tradotta in tedesco, inglese, spagnuolo, ecc. — Seconda edizione riveduta e corretta della prima traduzione italiana fatta da Tullia Chiorrini; già aumentata di un capitolo sulla « cura della nevrosi ». — Indidem. (Ven. lib. 3,50).

AENIGMATUM SOLUTIO

Aenigmata in postremis Commentarii fasciculis prop sita his respondent :

- Ann. XVI, n. IX : 1) **Aqua**; 2) **Cinis**.
 » » » X: 1) **Infundibulum**; 2) **S-anguis**.
 » » » XI: 1) **Pecten**; 2) vulgo REBUS: In pace res crescent.

Aenigmata an. XVI, n. IX soluta miserunt :

Petrus Tergestinus. — Iac. Hobban, Segubia. — Lud. Bernard, Gratianopolis. — Mart. Dunne, Neo Eboraco. — Clem. Fiard, Curia Rhaetorum. — I. Ortiz, Morella. — Rich. Muller, Berolino. — Ant. Masia, Tar-

ragon. — Fr. Xav. Ghion, Ostunio. — Nic. Lagumina, Panormo. — Ioac. Menendez, Madrito. — F. X. M., Drepago. — F. Wawer, Mariopolis. — Hier. de la Plana, Hispani.

Sortitus est praemium:

LUDOVICUS BERNARD,
ad quem missa est Milesia Fabula IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI,
cui titulus:

ARRAE GORGONIAE.

Aenigmata n. X soluta hue usque miserant :

P. C. Peltenburg, Soeterwonde ad Lngdunum Batavorum. — Petrus Tergestinus. — E. Burg, Monachio. — F. X. M. Drepago. — Lud. Bernard, Gratianopolis. — Lud. Dubois, Massilia. — Rich. Muller, Berolino. — Paulinus a S. Iosepho, Barcinone.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

AD ROMAM

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

SCIPIO.

Et Urbs, depositis moeroris vestibus,
Salutat filium venit qui peregre,
Salutat Patrem, qui restaurat omnia,
Bonique late portat abundantiam.
Salus Tibi, Pie, Felix, qui spoliis
Non cinctus victis exteris provinciis,
Tuis das pacem populis plaudentibus.
Venisti, et bello domito victoriis,
Eris Romanorum novum delicium.
Enim Tu Victor, Augustus, Pacificus,
In aevum cunetis linguis salutaberis.

(Hic in medium forum, incredibili christianorum laetitia, progreditur MELCHIAS CUM SACERDOTIBUS).

SCENA VI.

MELCHIAS, SACERDOTES et DICTI.

MELCHIAS.

Tibi, imperator, ingressuro primitus
In Urbem claram tot in orbe meritis,
Et armis olim celebrem, sapientia,
Placet precari a Deo, Optimo, Maximo,
Fidelis Romae statio sit cum omni,
Tibi, imperator, victor qui in armis venis.
Haec urbs quae multis claruit consulibus,
Dedit sanctas orbi leges et imperium,
Te primum consulem salutat merito.
Honorem sumas quaesitum purpurea
Claris victoriis, multis laboribus.
At nunc pacem cives enixe flagitant,
Malis discepti diutinis discordiis.
Fac, ut nepotes, annis mox labentibus,
Quae laeta vidimus nobis invideant.
Sit aetas praesens coaequanda veteri,
Novi esto felix restaurator saeculi.

Et Roma laeta te iam dicit filium,
Suis qui visceribus confers auxilium.

CONSTANTINUS.

Quis es tu vir, facundus sic et eloquens,
Qui me salutas verbis honestissimis?
Vel ipsi aequando Caesari, qui maximus
Est in historiis cunetarum gentium?
Mihi cura est magnum sequi vestigia
Eorum grandes quos adpellat veritas.
In Urbem veni non vactor aemuli,
Non ut pavorem paucis adversariis,
Pacem sed quae sit daturus omnibus.

PUBLIUS.

Sed, imperator, magna nos dissensio,
Diis invisa, in partes Urbem dividit...
Abhinc multos annos secta nequissima,
Meis quam labris vix declarare audeo,
Urbem malis vexat, discepit artibus.
Pax exulavit e Romanis aedibus,
Et cives fessi diutinis discordiis
Implorant opem, pacem, robur invocant.

CONSTANTINUS.

Velim sed, Publi, nucleasses clarus
Tuam quam miror optimam sententiam.
Enim, quid pace, quid concordia dulcissus?
Tuus totus sum, dic et confidentius.

PUBLIUS.

Est Christianorum turpis haec natio,
Novis quae Romam tamdiu vexat placitis.
En una causa nostrae civitatis mali.
Hunc tolle nobis, Imperator, colubrum,
Suo qui spiritu romanos inficit.

(Sequitur in pag. seq.).

Hisce auditis, multi CHRISTIANI oculos ad sidera tollunt, quasi ultima quaeque pertimescant, et quae sit imperator dicturus admirantes adspectant, dicentes:

- I. — Adest hora nobis omnium durissima !
- II. — Deus nos salvet !
- III. — Omen avertat Deus !
- IV. — Necem an vitam quid dicturus proferet ?

CONSTANTINUS.

Quid audio ! Novi quid, o Publi, refers ?
Christianos dicis venenatos colubros ?
Novam rem narras prope et incredibilem.
Adest nam tempus, nunc occasio optima,
Ut omne dicam quid de Christo sentio.
Eram puer, matris altus in gremio,
(Bona est mater dulcis mollis et alloquio,
Multis quae a teneris suevit me laboribus),
Nec unquam Christi nomen ad me venerat.
Eius refertos sensus sapientia
Mirabar vivens vel in aulis regiis.
Fui sic odiosus utrique Caesari,
Fui sic periculis multis circumdatus;
Enim rem mecum reputabam tacitus.
Quin saevientes audacius monui...
Et sic evasi caecas vix insidias,
Quas ipsi meae vitae tetenderant.
Modo sed Romam cum venissem proxime,
Sciens amorem, virtutem Maxentii,
Huc illuc anceps mens fluctuabat mea,
Et saepe saepius frustratus exitu,
Ab ipsis procul repulsus moeniis,
Ut hostis Romae semper sed creditus,
Eram Constantinus ad portas Hannibal.
Heic premebar maximis angustiis.....
Meas furens aedes optabam patrias.....
Mihi cum visio vigilanti adparuit.
Suis videbatur verenda vestibus
Urbs adparere scisis omnis erinibus,
Meas repellens copias minaciter,
Altis me vocibus vocitare perfidum.
Hisce visis moestus, moerore percitus,
Invitus statui Romam relinquere.
In altum tacitus levans tunc lumina,
Rem miram vidi inter silentia nubila ;
Vidi, nec mentior, nec vidi somnians
Sed experrectus, mente lucidissima.
Erant oppressi gravi somno milites,
Dux vigilabat obrutus angustiis ;
Erat Crux radiis splendescens undique
Hisce cum verbis, dicerent quae titulum :
Hoc signo vinces ! Somniare credidi...
Oculos frico, videtur mirandum nimis...
Nescio quod magnum suspicor esse nefas !
Et multi mecum milites qui vigilant
Testantur idem vidisse prodigium.

Hinc summo mane vocavi artifices
Novis ornarent qui vexillo litteris
Visis in nubibus. Portant signiferi
Primum gratulantes, et summis galeis
Ferunt gregarii... Stat Crux in medio,
Hinc inde litterae nomen Christi ferunt.
Tuli sub ista proxime victoram,
In Urbem triumphans sub ista ingredior.
Nec erubescam istam conferre publice,
Erit nec ipsa signum vituperii.
Meus mox praeco voce magna et buccina
Feret Romanis quid de Christo sentiam.
Seio multos adhuc teneri in vinculis,
Modo sequuntur Christi quod sapientiam.
Eis omnem volo libertatem dari,
Matronis, pueris, viris et virginibus...
Tibi sed in primis, Pontifex Optime,
Diu qui passus es ! Sat datum lacrimis :
Refulgeat cunctis pulera felicitas.
Iuvabit vos tandem decorari lares,
Domos solari candida laetitia.
Valere, Roma, te laetari iubeo !

(Postea buccinae canunt, et MILITES introgrediuntur, elata voce clamantes: « Io, triumphe ! » Et CIVES manibus plaudentes, huc illuc prolabuntur, dum CONSTANTINUS in pacatam urbem invehitur. CHRISTIANI vero gratulantes ad Melchiadēm accedunt, qui rerum admirabilium successu commotus, sic suos alloquitur):

MELCHIAS.

Deo sint Iesu redditae nunc gratiae.
Brevi quam mirum mutabuntur omina !
Modo imperabat duriter Maxentius,
Nostros vexavit, est adgressus aegrius.
Quorum quot effudit sanguinis flumina !
Multos in obscuras detrudit carceres,
Suis ut mactaret deis post victoram.
At ipse mortuus mediis in fluctibus
Dedit vel inscius quietem Ecclesiae.
Male omnes Christi sic osores transeunt !
Canamus hymnum victoriae Domino,
Solet qui semper ipsis infortuniis
Suam coronis decorare Ecclesiam.
Enim quot martyres nominamus breviter
Senes et iuvenes nobiles et viduas,
Quot aetas edidit virtutum series !
Ex insperato adest imperator recens
Pacem Romanis qui promittit strenuus
Sequi Christum venerari libere,
Eique templa decorare, supplices...
Quam Constantino sunt agendae gratiae !

(Vix hisce prolatis, ex omnibus partibus, quasi ex composito, POPULARES irruunt exclamantes; atque un-

(Sequitur in pag. seq.).

VOX URBIS

dequaque Christianos urgent verbisque et verberibus
male habent ac molestant).

POPULARES.

I. — Hi sunt origo quae deturbant agminum
Malorum Romam quae sternunt, opprimunt !
(Videntes Melchiadem eum adgrediuntur).

II. — In flumen sagum, qui inimicus patriae
Suis cum sociis in nos Deos provocant !

OMNES.

In flumen omnes Christi qui discipuli !

(Magna exoritur confusio. Cives incondite hue illuc
cursitant, qui eiulant, magna suspiria emittunt,
auxilium postulant.... Tunc exauditur praeconista
tuba, quae ad silentium atque ad ordinem cives
invitat).

PRAECO.

Imperatoris stat voluntas firmiter,
Sit una Romae lex et una gentibus;
Pares regantur cives aequis legibus,
Quas sit violare unum nefas omnibus.
Ex voluntate cuique sit religio.
Iesum vel Christum si venerari cupis,
Ab isto temporis momento licet,
Deos vel illos quos colebas antea.
Potes sic aedem publicam componere,
Ornare floribus, pieturis aureis;
Velis Iunonis ut si Iovis delubra
Adire nullus prohibebit adfatum.
Si vero verbis tentat quis vel opere
Hoc impedire, spernere vel ludibrio,
In crimen sciat delapsurum protinus;
Quod imperator almi vindicta Numinis
Luendum minitat poenis et legibus.
Et ipse in vulgus edi nunc desiderat
Tulisse nuper victoriam strenue,
Sperat laturum multas et in posterum,
Iesu Nazareni fultus auxilio:
Et ipse videt et viderunt milites
Parvis cum copiis stravisce plurimas.
Hic unus adfuit praesenti numine,
Eique gratias agit quam maximas.
Primum sic Romae promulgari perlubet,
Mox per provincias omnes imperi !

MELCHIAS.

O Roma felix, quae regina denuo
Non armis amplius, Christi sed nomine,
Petri super solio dominatur inclita
Et nunc diffunditur per orbem clarior !

CHRISTIANUS.

Vidisti ?

MELCHIAS.

Quid ?

CHRISTIANUS.

Legis quae sit subscriptio?

MELCHIAS.

Quae ?

Signum Crucis ! Miranda res prae caeteris !

ETHNICI (legentes).

I. — O morum, temporum, rerum mutatio !
II. — Romae quae pendet maxima calamitas !
III. — Et indignatio crudelis Numinum !
IV. — Nihil fuit Roma gloria pulchrior
Magis duraturum saeculis labentibus !

MELCHIAS.

Quae namque Numinum fuit potentia ?
Potens fuit Roma magnos propter viros,
Suam qui egregiam dicarunt indolem.
Deus nomen dedit, potentiam strenuam,
Ei quae nationes colligeret simul
Ut unum exstaret, orbe sic composito,
Corpus, quod una cunctis membris domitis
In unum spiritum tandem coalesceret.
Sic noster olim Cicero conscripserat,
Sic et decoris versibus Vergilius,
Fides sic una videbatur mentibus
Virum quos Roma protulit rerum parens.

(ETHNICI ira maxima perculti e scena prolabuntur claramore. Eorum voces paullatim vix et ne vix quidem audiuntur).

CHRISTIANI.

Iesu sint actae gratiae quae maxime,
Novum qui generat saeculorum ordinem.
Ei sint gratiae !

(genuflectentes).

Gratiae quam maxime !

MELCHIAS.

Christus sic vincit ! Christus regnat et imperat !

CHRISTIANI.

Ei sit nunc honor, decus, et in saecula !

CHORUS.

Crux ave primum reprobis cruenta,
Nunc ades magnum pretium salutis
Omnibus late populis in orbe
Nobile pignus.
Te gerent reges decus et coronam,
Et super fulges galeis superbis;
Gentibus lassis miserata splendes
Palma triumphi.

FINIS.

APUD

SOCIETATEM EDITRICEM ROMANAM

ROMA - Via del Tritone, 46 - ROMA

excerpta ex Commentario VOX URBIS veneunt, quae sequuntur:

ARRAE GORGONIAE

■ ■ ■ ■ ■ MILESIA FABULA ■ ■ ■ ■ ■

JOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI

VEN. LIBELL. 0.60

EUPLIUS

ACTIO DRAMATICA

■ ■ ■ ■ ■ JOANNIS

B. FRANCESIA

LATINIS VERSIBUS CONSCRIPTA

ET IN TRES ACTUS DISTRIBUTA

■ ■ ■ ■ ■ EDITIO ALTERA ■ ■ ■ ■ ■

VEN. LIBELL. 1.00

SATURIO

COMOEDIA

■ ■ ■ ■ ■ JOANNIS

B. FRANCESIA

VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

ET IN TRES ACTUS DISTRIBUTA

■ ■ ■ ■ ■ EDITIO ALTERA ■ ■ ■ ■ ■

VEN. LIBELL. 1.00

QUAELIBET OPERA EDENDA SUSCIPUNTUR